

V. De revocatione testamenti, & de Commissario.	507	X. Alia dubia circa secretum.	527
VI. De testamentariis, seu executoribus testamenti.	508	XI. De iudicio temerario.	ibid.
VII. De legatis.	509	XII. De suspitione, dubio, & opinionione temeraria.	529
VIII. Alia dubia circa legata.	510	XIII. De restitutione honoris.	530
		XIV. De restitutione fama.	531

TRACTATUS VIGESIMUS PRIMUS

De octavo Decalogi præcepto. 512

CAPUT I.

De falso testimonio, & mendacio.	ibid.
PUNCT. I. Notio, & divisio falsi testimonii.	ibid.
II. De mendacio.	513
III. De malitia mendacii.	514
IV. De simulatione.	516

CAPUT II.

De honore, fama, ac de eis oppositis.	517
PUNCT. I. De honore, & fama.	ibid.
II. De contumelia.	ibid.
III. De susurratione, & derisione.	518
IV. De maledictione.	519
V. De detractione.	520
VI. Quando detractio gravis, aut levis censenda sit.	521
VII. Alia dubia circa detractionem.	522
VIII. De causis excusantibus a detractione in criminum manifestatione.	524
IX. De secreto naturali.	525

CAPUT III.

De foro judiciali.	532
PUNCT. I. De foro, causa, & iudice.	ibid.
II. De aliis requisitis in iudice.	533
III. De donationibus factis iudicibus.	535
IV. De modo procedendi per inquisitionem.	536
V. De requisitis ad inquisitionem specialem.	537
VI. De accusatore.	539
VII. De denunciatione.	540
VIII. De testibus.	ibid.
IX. De reo.	542

CAPUT IV.

De advocatis, tabellionibus, & aliis curialibus.	544
PUNCT. I. De advocatis.	ibid.
II. De tabellionibus, & aliis officialibus.	545
Decretum S. Congregationis de Propaganda fide contra quosdam ritus Sinenses.	546
Decretum S. R. & universalis Inquisitionis contra quosdam theses circa probabilissimum.	552

S. Bern. in Cant. serm. 36. Exponens illud Apost. si quis existimat se scire aliquid.

Vides quod non probat multa scientem, si modum sciendi nescierit. Vides quomodo fructum, & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? Nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem sed tantum ad edificationem tuam, vel proximi.

Multi querunt scientiam, pauci consentiam. Si vero tanto studio, & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis, & vana scientia, & citius apprehenderetur, & utilius retineretur. Idem lib. de conscientia cap. 2.



TRACTATUS PRIMUS

De principiis Moralitatis.

Nignoratis principiis ignorentur principia; a principiis Moralitatis exordium sumimus. Ut autem aliquis notitia ipsius Theologiæ Moralis a Candidatis habeatur, præ omnibus de eius existentia, natura, objecto, ac de Locis, seu Fontibus, ex quibus suas conclusiones eruit, quasdam quaestiones, ut præmium totius operis breviter prælibabimus.

CAPUT I.

De existentia, Natura, Objecto, & de Locis Theologiæ Moralis.

Hæc omnia in hoc capite levi calamo discutienda complectimur, ut habita eorum notitia, ad ulteriora clarius procedamus. Unde quaestio *An sit, & quid sit* cæteris omnibus præmittitur.

PUNCTUM I.

De Existentiâ, & Essentiâ Moralitæ Theologiæ.

1. Inq. I. An detur Theologia Moralitæ? R. affirm. Nam cum homo sit ordinatus in Deum, sicut ad finem supernaturalem, necessario debet dari aliqua doctrina, qua tali fine cognito, homo in illum suas operationes dirigat; sed hæc doctrina est Theologia Moralitæ: ergo necessaria est, & existit. Theologia quippe Moralitæ dirigit ho-

minem ad cognitionem, & assecutionem Dei: *Moralitæ* que ideo potissimum appellatur, quia versatur circa actus humanos bonos, vel malos: illos consiliando, aut imperando; hos vero inhibendo, & reprobando. Ita D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1.

2. Objic. Ad dirigendos actus humanos datur Ethica, seu Philosophia naturalis: ergo non est necessaria Theologia Moralitæ. R. disting. ant. ad dirigendos actus humanos ad finem naturalem, datur Philosophia naturalis, conced. ant. ad dirigendos actus humanos ad finem supernaturalem, neg. ant. & conseq. Philosophia igitur naturalis, *Ethica* nuncupata, versatur circa directionem actuum humanorum in linea naturali; sed ignorat finem supernaturalem, ad quem Theologia Moralitæ ordinat hominem, ejusque actus, & operationes.

3. Addimus, quod licet aliqua in ordine ad Deum, & Authorem naturæ ratione naturali indagari possint; nunquam sine face Divinæ revelationis veritas absque mixtione plurium errorum attingi valet, ut plusquam satis Philosophorum deliramenta ostendunt.

4. Nam relictis aliis erroribus Plato ex altitudine acuminis *divinus* appellatus, finxit ideas universales separatas; quosdam Deos esse aliis minores, animas corporibus præextitisse, & velut in carcere pœnas debere esse communes, licere aliquando mentiri. Ex eo didicit Pythagoras, & docuit transmigrationem animarum, ita ut eadem sit nunc anima Cæii, postea Tulii,

deinde Fabii, aut bobis, equi, vel ovis. Aristoteles totius Philosophiæ facile Principiis incidit saltem in octo errores, licet aliquos sui Magistri Platonis scite correxerit. Democritus, & Empedocles candidè fassi sunt nihil vere scire. Socrates aiebat se solum unum scire, quod nihil sciret. Arcesilas ne id quidem sciri posse. Anaxagoras idem & amplius fatebatur, dicebat enim quod non certo sciebat an nix sit alba, sed ita nobis videri; posse namque decipi visus, sicut decipitur in Arcu cœlesti, & in collo Columba, ubi putat videre colores, & fallitur. Hinc Academici nihil esse certum credebant, Pirronistæ omnia dubitabant. Ergo in tanto caliginis, & obscuritatis pelago opus est lucernâ divini revelationis, ne in tot errorum scopulis impingamus. Neque audiri, sed potius despici debent quidam scituli, aut verius garruli oppositum blaterantes, eorumque scripta comburi.

5. Inq. 2. Quid sit Theologia Moralis? R. est *Facultas disserens de actibus humanis in ordine ad Deum, ut finem supernaturalem.* Dicitur *Facultas*, & non scientia, quia definitio debet tradi per certiora, & an Theologia Moralis sit scientia, adhuc sub lite est. Ponitur ergo, *Facultas* loco generis, quia per illam convenit cum aliis facultatibus, a quibus secernitur per sequentes particulas: quia disserere de actibus humanis in ordine ad Deum, ut finem supernaturalem soli Theologiæ Morali competit.

PUNCTUM II.

De qualitate Theologiæ Moralis.

6. Inq. 1. An Theologia Moralis sit Scientia? R. affirm. quia illa facultas est Scientia, quæ ex certis principiis deducit suas conclusiones; sed Theologia Moralis suas conclusiones deducit ex certis principiis, nempe ex principiis fidei, quæ omnem certitudinem naturalem excedunt: ergo est vera scientia. Ita D. Thom. ubi supra art. 2.

7. Objic. Theologia Moralis abundat opinionibus: ergo non est scientia, de cujus ratione est acquiri per demonstrationem. R. Theologiam Moralem abundare opinionibus non provenire ex merito ipsius facultatis, sed ex defectu nostri intellectus, originalis peccati labe infecti, ideoque in

attingentia veritatis cœcuentis; nec Theologia Scholastica deficit a ratione veræ scientiæ, licet in ejus materia non pauca reperiantur opinioniones.

8. Inq. 2. An Theologia Moralis sit scientia *entitative* supernaturalis? R. negat. quia scientia, quæ actibus naturalibus acquiritur, est *entitative* naturalis; sed Theologia Moralis acquiritur actibus naturalibus: ergo est *entitative* naturalis. Confirmatur: ideo virtutes Theologiæ, & alia dona nequeunt acquiri nostris actibus, sed infunduntur a Deo, quia sunt *entitative* supernaturales: ergo Theologia Moralis, quæ nostris actibus acquiritur, est *entitative* naturalis.

9. Verum tamen dupliciter est supernaturalis Theologia Moralis, sicut & Scholastica: nempe *radicaliter*, quia procedit ex principiis fidei, & objective, quia ejus objectum est Deus, ut Author supernaturalis. Per quod distinguitur Theologia a Methaphisica, & omni scientia naturali, quarum principia, & objecta sunt mere naturalia.

10. Objic. Scientia habens objectum supernaturale, est *entitative* supernaturalis ergo si Theologia habet objectum supernaturale, est *entitative* supernaturalis. R. Quod Theologia attingit objectum supernaturale medio discursu naturali, qui est causa proxima conclusionis Theologiæ. Intellectus enim, suppositis principiis fidei per discursum naturalem ex præmissis revelatis infert conclusionem cum eis connexam. Unde ejus effectus, seu habitus ab ipso productus est *entitative* naturalis. Per quod distinguitur Theologia a fide, quæ non est discursiva, nec ad suos actus indiget discursu.

11. Inq. 3. An Theologia Moralis sit scientia simpliciter practica? R. affirm. quia Theologia in quantum Moralis dirigit intellectum ad rectam praxim; præscribendo regulas ad virtutes exercendas, & vitia profliganda: ergo est simpliciter practica.

12. Objic. 1. Theologia Moralis est simpliciter speculativa: ergo non est simpliciter practica. Nam practicum, & speculativum nequeunt adunari in scientia ordinis naturalis. R. quod sicut anima rationalis, licet sit ordinis naturalis est simul formaliter eminenter sensitiva, & vegetativa, potiori titulo Theologia valet in se adunare practicum, & speculativum, quæ in scientiis in-

fe-

ferioribus se habent, ut differentie essentielles. Theologia igitur est simpliciter speculativa, & practica; magis tamen speculativa, quia principaliter agit de rebus divinis, quam de actibus humanis, de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, dicit D. Thom. ubi supra art. 4.

13. Objic. 2. Virtus practica adequate dividitur in prudentiam, & artem; sed Theologia Moralis non est prudentia, nec ars: ergo non est practica. R. Antecedens esse verum de virtute practica proxime operativa, ut sunt prudentia, & ars, non tamen de virtute regulativa, ut sunt Ethica, & Medica, quæ vere sunt facultates practicae, & hujusmodi est Theologia Moralis, quæ regulat hominem ad recte operandum.

14. Inq. 4. An Theologia Moralis sit argumentativa? R. affirm. quia omnis scientia est argumentativa, in quantum ex propriis principiis deducit conclusiones de suo objecto; sed Theologia Moralis est scientia: ergo est argumentativa. Quod patet ex Apost. ad Titum 1. ubi loquens de Episcopo ait: *Ut potens sit exortari in doctrinâ sana, & eos qui contradicunt arguere:* Patet etiam ex pluribus factis Christi Domini præcipue, dum arguens confutavit Pharisæos, ostendens licitum fuisse Apostolis colligere spicas in Sabato propter necessitatem. Matth. 12.

15. Pro cuius luce nota, quod Theologia, licet sit una scientia, habet diversa munera, juxta quæ distincta insignitur nomenclatura. Nam dum agit de Deo, ut vero, & cognoscibili dicitur *Scholastica*: dum versatur circa explicationem Scripturæ Sacre, ejusque sensuum, appellatur *Expositiva*: dum exponit Methaphoras, & symbola sacra vocatur *Symbolica*: dum agit de Deo, ut bono, amabili, & fruibili in occulta communicatione nostræ anime, dicitur *Mystica*: dum servit ad regulandos actus humanos in Deum finem supernaturalem, nuncupatur *Moralis*: dum exponit dogmata fidei, dicitur *Dogmatica*: dum denique eadem dogmata, & fidei principia contra hostes defendit, vocatur *Polemica*, *Bellatrix*, seu *Argumentativa*.

16. Inq. 5. Cur Doctores Hispani non agunt ex professo de Theologia Dogmatica? R. quia non est opus valentibus Medico, Notaria est universo mundo puritas fidei in His-

pania, quæ gaudet 1. Ex speciali misericordia Dei. 2. Ex peculiari religione, & pietate Regis Catholici. 3. Ex accurata vigilantia Sanctæ Inquisitionis. 4. Ex sanitate Doctrinæ præsertim Theologiæ positivæ seu Scholasticæ, quæ rimatur latebras hæresum, easque profunde eviscerat, proterit, & profligat. Ideo Dogmatica in Hispania non est adeo necessaria sicut in aliis Regnis, ubi permittuntur Judæi, & Hæretici, hostes perpetui Religionis Catholicæ.

17. Ultra quod Doctores Hispani agentes funditis de Theologia positiva, agunt simul de Dogmatica exponentes & confutantes in una quaque materia hæreses atque errores sectariorum, ut videre est in omnibus, qui cum magisterio, & pro dignitate scripserunt. D. Thomas in sua mirabili Summa non egit ex professo de Theologia Dogmatica; nihilominus cunctos errores, & hæreses antiquos in ea diserte refutavit, & pro futuris debellandis universalem antidotum Ecclesiæ præparavit, & reliquit.

18. Inq. 6. An Theologia secundum omnes has partes sit una, & eadem scientia specie atoma? R. affirm. quia sicut fides est una virtus specie atoma, quia præcedit quoad omnia credibilia sub ratione revelationis formalis, ita Theologia est una scientia, quia procedit quoad omnes suas partes sub ratione revelationis virtualis.

19. Inq. 7. An Theologia Moralis sit Sapientia? R. affirm. quia sapientia est cognitio rei per altissimam causam; sed hoc proprie convenit Theologiæ Morali, quæ procedit per fidei principia, quæ supra omnes causas naturales eminent: ergo est sapientia. Verum nota, non esse Sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti; illa enim non acquiritur nostris actibus, sed a Deo infunditur. Sed hæc est sapientia acquisita, excedens omnes scientias humanas, quia procedit per principia aliora.

20. Unde legitime inferitur, quod Theologia Moralis excedit in dignitate, & certitudine omnes scientias mere naturales. Tum quia materia, circa quam versatur, est omnibus excellentior, & sublimior: tum quia principia, per quæ procedit, omnem superant certitudinem humanam. Hæc omnia suaviter allucunt candidatos ad fervens studium Theologiæ Moralis; est quippe altior, nobilior, certior, & utilior omnibus scienti-

scientiis mere humanis, ac naturalibus.

PUNCTUM III.

De Objecto Theologiæ Moralis.

21. Inq. 1. Quid sit objectum formale Theologiæ Moralis? R. 1. Objectum formale quod Theologiæ Moralis est Deus, quia illud est objectum formale scientiæ, ad quod reducuntur omnia, quæ tractantur in ea; sed omnia, quæ tractantur in Theologia Morali, ordinantur ad Deum, tanquam ad finem, ut liquet in Sacrificiis, Sacramentis, Legibus, & Præceptis, de quibus agit Theologia Moralis: erg. Deus est ejus objectum formale quod. Unde Theologia dicitur sermo de Deo, ut ait D. Thom. ubi supra art. 7.

22. R. 2. Objectum formale quo, seu ratio formalis sub qua Theologiæ Moralis est revelatio virtualis. Nam Theologia habet rationem formalem sub qua distant a fide, & Methaphisica: erg. ejus ratio formalis sub qua est revelatio virtualis. Patet consequentia, quia ex una parte, si haberet pro ratione formalis sub qua revelationem formalem, conveniret cum fide; & ex alia, si non dependeret a divina revelatione, conveniret cum Methaphisica, ut ex se liquet, nam Theologia Methaphisica agit de Deo: erg. ratio sub qua Theologiæ Moralis nequit esse alia, quam revelatio virtualis.

23. Inq. 2. Quid intelligatur pro revelatione formali, & quid pro virtuali? R. Quod revelatio formalis dicitur veritas immediata de fide, seu propositio expresse contenta in sacra pagina. Revelatio virtualis est veritas mediata de fide, seu propositio legitime deducta ex altera formaliter revelata, ut Christus est risibilis, quæ legitime inferitur ex hac, Christus us est homo. Unde omnis propositio immediata de fide, est revelatio formalis, & omnis propositio vere Theologica est revelatio virtualis. Revelatio in communi est Amotio velaminis, aut velamenti. Proprie vero est: Manifestatio alicujus veritatis, seu Mysterii. Revelationes particulares, quæ fiunt privatis personis, non sunt de fide, nec ad fidem attinent; esto alias ab Ecclesia approbentur.

24. Inq. 3. Quid sit objectum materiale Theologiæ Moralis? Esse omnes actus hu-

manos regulabiles per rationem, sive bonos, sive malos: quia illud est objectum materiale cujuslibet scientiæ, de quo illa tractat, & agit; sed Theologia Moralis agit, & tractat de omni actu humano imperando, seu consiliando bonum, & inhibendo, seu reprobando malum: erg. Ejus objectum materiale sunt actus humani sive boni, sive mali.

PUNCTUM IV.

De Locis Theologiæ Moralis.

25. Inq. Quæ sint loca, seu fontes, ex quibus sanam haurit doctrinam Theologia Moralis? R. Decem, ex quibus Theologia suas debeat probare conclusiones, assignari a doctissimo Cano in suo opere de Locis. 1. Autoritas Sacræ Scripturæ, quæ in libris Canonicis continetur. 2. Autoritas traditionum Christi Domini, & Apostolorum. 3. Autoritas Ecclesiæ Catholice. 4. Autoritas Conciliorum præsertim Generalium. 5. Autoritas Papæ. 6. Autoritas Sanctorum Patrum. 7. Autoritas Theologorum, & Canonistarum. 8. Philosophia, seu ratio naturalis. 9. Autoritas Peritorum juris Cæsarei, qui veram & ipsi Philosophiam profitentur. 10. Autoritas Historiæ humanæ, non leviter, aut aniliter, sed gravi, constantique ratione scriptæ, seu traditæ.

26. Ex his locis septem priora sunt Theologiæ propria, & intranea; tria vero posteriora extranea, & solum probabiliter concludentia. Ne igitur eorum notitia penitus careant, qui in Theologia Morali instrui cupiunt, breviter de omnibus singillatim aliquid inuenimus.

§. I. De Scriptura Sacra.

27. Inq. 1. Quid sit Scriptura Sacra? R. Est verbum Dei formaliter scriptum ipso Deo peculiari Authore. Dicitur: ipso Deo peculiari Authore. Vel quia ipse suo digito legem Decalogi scripsit, vel potius quia ipse dictavit Scripatoribus sacris verba omnia; & hoc modo est Author peculiaris veteris, novique Testamenti.

28. Scriptura igitur sacra, cujus Author

cularis est Deus, continetur in Biblia, seu Bibliis, quæ appellatur Vulgata; sola hæc, approbata ab Ecclesia, authentica est. Biblia idem est, ac libri. Libri autem in eis contenti septuaginta duo enumerantur, ex quibus quadraginta quinque pertinent ad vetus Testamentum, & viginti septem ad novum. Omnes hos libros ut sacros habemus, & credimus ex Trident. Sess. 4.

29. Aliqui imperitii Breviarium putant Biblia, unde omnes lectiones Breviarii credunt esse de fide, quod crassa ignorantia est. Nam solum sunt de fide lectiones primi Nocturni, & alia desumpta ex sacra pagina, ut Psalmi, Capitula, & initia Evangelii officio respondentis. Lectiones vero secundi Nocturni, & cætera transcripta ex historia humana, & Sanctis Patribus nec sunt de fide, nec excedunt certitudinem humanam.

30. Inq. 2. Quid sit sensus sacre Scripturæ? R. est, conceptus ab Spiritu Sancto intentus, & nobis per Scripturam sanctam manifestatus. Alius est literalis, alius spiritualis. Item literalis alius est proprius, alius improprius, seu Methaphoricus. Sensus proprius est ille, quem verba in sua naturali, & propria significatione important. Methaphoricus est quem verba, non ut sonant, sed improprie, & methaphorice significant; ut dum Christus dicitur Agnus, Petra, aut Leo. Sensus spiritualis, aut mysticus datur, quando res significatæ per voces sunt signa aliorum. Hoc autem tripliciter potest contingere, vel in ordine ad credenda, & ita est sensus Allegoricus; vel in ordine ad operanda, & sic est Anagogicus. Unde.

31. Inq. 3. Quot sint sensus Scripturæ Sacræ? R. Sunt quatuor, nempe Literalis, Allegoricus, Moralis, & Anagogicus. Eorum autem pulchra descriptio continetur sequenti duplici versu:

Littera gesta docet, quid credas Allegoria:
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.
Claritatis gratia sit exemplum illud Genes. 1. Fiat lux, quod intelligitur litteraliter de luce materiali in mundo: Allegorice de luce Evangelii in Ecclesia Militante: Moraliter de luce gratiæ in homine: & Anagogice de luce gloriæ in patria. Eodem modo: Jerusalem, quæ edificatur ut civitas. Psalm. 121. potest intelligi litteraliter de urbe Palesti-

næ, allegorice de Ecclesia Militante, moraliter de anima justi, & anagogice de Jerusalem celesti.

32. Inq. 4. An in omni textu sacre scripturæ reperiantur quatuor sensus? R. Non semper: ut patet in illo dulci præcepto: Diliges Dominum Deum tuum &c. quo litteraliter intellecto, & satisfacto, nihil amplius desideratur. Verum sub eadem littera aliquando reperitur duplex sensus literalis proprius, ut Psalm. 2. Ego hodie genui te, quod proprie, & litteraliter accipitur de generatione æterna, & de temporali Christi Domini, ac etiam de ejus Resurrectione.

33. Inq. 5. An sensus literalis sit perfectior spirituali? R. Ubi datur sensus literalis si bene intelligatur, est perfectior spirituali, quia est primario intentus ab Spiritu Sancto. Nec valet dicere: Littera occidit, quia littera male intellecta occidit, non vero bene intellecta.

34. Inq. 6. An dentur textus in Scriptura, qui non debeant accipi litteraliter? R. Affir. v. g. Si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: quæ verba litteraliter accepta fertur, fuisse occasionem erroris Origenis, qui sibi inepte virilia amputavit. Simile factum hic Romæ anno præterito contigit, & fatuus amputator, licet facti pœnitens, ex vulnere obiit.

35. Inq. 7. Ex quo sensu Scripturæ sacre sit sumendum argumentum ad credendum, & operandum? R. Ex sensu literali proprio, ubi habetur, quia est conceptus Spiritus Sancti nobis manifestatus, quo nihil firmius excogitari valet. Sacra enim Scriptura est quasi quædam Epistola nobis a Deo missa pro nostra instructione, & directione ad vitam æternam consequendam: unde quidquid in ea nobis litteraliter proprie manifestatur, est firmum argumentum, & certa regula ad credendum, & operandum.

36. Ex sensu vero literali improprio, aut spirituali solum potest sumi argumentum, quando constat Christum, vel ejus Apostolos eo usos fuisse: quia sensus improprius, vel spiritualis varias habet significationes: erg. solum erit certa regula, quando constat de vera ejus significatione ex usu Domini, vel Apostolorum. Ut cum Christus ostendit serpentem a Moyse exal-

tatum seipsam mystice signasse: Joan. 3. Item Joannem in ventre Ceti sui figuram fuisse: Matth. 12. Paulus etiam ad Galat. 4. in duobus filiis Abraham allegorice intelligit duo testamenta, & sic de aliis.

37. Unde a fortiori sequitur ex sensu accommodatio nunquam posse firmum summi argumentum; sensus quippe accommodatius potius est conceptus ab interprete suo arbitrio applicatus, quam a Spiritu Sancto intentus. Igitur solus sensus, qui manifeste constat contineri in libris Canonicis, vel ab Ecclesia proponitur, ut legitimus, admittendus est, & ut locus sacræ Scripturæ tenendus.

§. II.

De Traditionibus.

38. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit traditio? R. Traditio in communi est *quædam notitia non scripta, sed a primis usque ad nos de gente in gentem ore tenus continuata. Dividitur in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam.* Divina est *quædam doctrina non scripta, sed a Deo, vel Christo immediate derivata, & de aure in aurem usque ad nos continuata.* Talis fuit in lege naturæ doctrina de mundo a Deo creato, de remedio peccati originalis, de ritibus, quibus Deus colebatur in lege veteri, doctrina de Divinitate sacrarum Librorum, de remedio peccati originalis in feminis: in lege gratiæ de perpetua virginitate Dei Genitricis, de septenario numero Sacramentorum, & cultu sacrarum Imaginum, & alia hujus generis, quæ licet de cursu temporis reperiantur scripta, non tamen constant expresse in libris Canonicis.

39. Traditio Apostolica est, *quædam doctrina ab Apostolis viva voce emanata, & usque ad nos semper continuata.* Talis est institutio Quadragesimæ, & observatio diei Dominicæ pro Sabbato. Traditio Ecclesiastica est *doctrina post tempora Apostolorum a Prælati per modum consuetudinis introducta, & usque ad nos semper observata.* Talis est solemnitas quarundam festivitatum, abstinencia a carnibus, ovis, & lactiniis certis anni diebus, laudabilis se signandi consuetudo, plus mos utendi aqua benedicta, aliæque ad ritus, & cæremonias spectantia.

40. Inq. 2. Ex qua traditione possit summi argumentum firmum ad fidem, & bonos mores? R. Ex traditione Divina, & Apostolica universali, quæ ab hominibus ubique, & semper observata est, firmum de promi argumentum ad fidei dogmata, & mores rite instituendos: Prob. ex *Apost. 1. ad Corint. 11. v. 16.* Qui opponens contentiosis consuetudinem Ecclesiæ, dicit: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et ad Thessal. 2. v. 2. jubet. *Tenete traditiones.* Prob. ratione: quia Verbum Dei viva voce prolatum, ita infallibile est, ac litteris exaratum, cum ex caracteribus non sortiatur suam infallibilitatem.

41. Traditio mere Ecclesiastica licet pari non gaudeat autoritate, ac Divina, aut Apostolica universalis, est tamen certa regula ad fidem, & bonos mores, ita ut esset saltem temerarius, qui eam in dubium revocaret; imo suspectus de hæresi esset, qui contemneret Sacramentalia, & alios ritus Ecclesiæ, uti inepte efficiunt Lutherani.

§. III.

De Ecclesia.

42. Inq. 1. Quid est Ecclesia? R. Est *Congregatio fidelium baptizatorum ad colendum Deum adunata, cujus caput invisibile est Christus Dominus in Cælis, & visibile summus Pontifex in terris.* Dicitur *Congregatio*, quia Ecclesia in uno solo non consistit, sed ad minus tres, qui in jure dicuntur Capitulum facere, complectitur. *Fidelium baptizatorum:* Quia sine baptismo nemo in Ecclesiam ingreditur. *Ad colendum Deum adunata.* Per quod discernitur vera Ecclesia ab aliis Cœtibus, & Ecclesiis profanis, aut politicis. Per ultimas particulas excluduntur ab Ecclesia hæretici, & scismatici, qui misere degunt ab ea segregati absque vero Capite, & legitimo Pastore.

43. Inq. 2. Quinam sint membra Ecclesiæ? R. Ut quis sit Ecclesiæ membrum tria requiri: nempe Baptismus fluminis, fides, & obedientia, aut subjectio Romano Pontifici. Unde non baptizati, etsi sint in gratia, aut Catechumeni, vel baptizati separati ab obedientia Pontificis, ut hæretici, & scismatici non sunt membra Ecclesiæ visibilia, vel in factu.

44. Inq. 3. Quot sunt caracteres, seu notæ veræ Ecclesiæ? R. Esse quatuor, nimirum, quod sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.* Est *Una*, ut patet ex Joan. 6. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Item ex Apost. ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* Denique est *una unitate Sacramentorum, & unitate Capitis*, nempe Summi Pontificis.

45. Est *Sancta*: non quod omnes fideles sint sancti, ut infeliciter delirant hæretici; hoc enim proprium est Ecclesiæ Triumphantis; verum in Militante mixta sunt vasæ aurea, & fictilia, granum, & palea, triticum, & zizania, reperiunturque virgines prudentes, & fatuæ; sed quia ejus doctrina, fides, & sacramenta sunt sancta, & omne, quod proficitur, redolet sanctitatem.

46. Est *Catholica*, aut *Universalis* diffusa a solis ortu usque ad occasum. Nam eadem nunc est, ac erat tempore Apostolorum, quibus dictum fuit: *docete omnes gentes*, eandem doctrinam tenet, eadem dogmata credit: *Catholica* ergo est, & universalis ratione doctrinæ, quæ ab omnibus vere Christianis ubique, & semper credita fuit, & credi debet.

47. Est *Apostolica*, quia probat, possidet, & conservat successionem suorum Pontificum, & Dogmatum ab ipsismet Apostolis sine ulla interruptione. Nam si velis computare, invenies a D. Petro usque ad Pium VI. feliciter regnantem 251. Pontifices, qui successione continuata sine ulla mutatione in dogmate fidei Navem Ecclesiæ gubernarunt.

48. Inq. 4. An Ecclesia sit Visibilis? R. affir. quia Caput ejus, nempe Papa, est visibilis, Pastores sunt visibiles, membra, nimirum Fideles, Ritus, Cæremonie, & Sacramenta sunt etiam visibilia. Si autem inferas: ergo non credimus Ecclesiam, quia quod videtur, non creditur: negatur consequentia, quia aliud videtur, & aliud creditur; videntur sacramenta, & virtus eorum creditur, credimus enim conferre gratiam, quæ non videtur: ita videmus Ecclesiam, sed credimus solum in ea dari veram fidem, spem, gratiam, & charitatem, quæ non videntur. D. Aug. epist. 166. *ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad ter-*

minus terræ.

49. Inq. 5. An argumentum sumptum ab Autoritate Ecclesiæ universalis pro fide, & moribus sit firmum? R. affir. quia doctrina Ecclesiæ universalis est infallibilis, utpote Christi sponsæ, cui ipse promissit suam protectionem, & præsentiam. Matth. 16. *Portæ inferi non prevalebunt adversus edm.* Et cap. ult. *Ecce ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Qua ratione ab Apostolo 1. ad Timoth. 3. egregie appellatur: *Columna, & firmamentum veritatis.*

§. IV.

De Conciliis.

50. Inq. 1. Quid sit Concilium? R. *Congregatio Prælatorum Ecclesiæ ad fidei, morumque controversias definiendas a legitimo Superiore approbata.* Quatuor sunt genera Conciliorum. Nempe: *Generale*, ad quod vocantur Episcopi totius Orbis, quibus præsidet Papa, vel alius ejus nominis, *Nationale*, ad quod vocantur Archiepiscopi, & Episcopi alicujus Regni, vel Nationis, quibus præsidet Patriarcha, vel Primatus. *Provinciale*, ad quod conveniunt Episcopi Provincie, quibus præest Archiepiscopus, seu Metropolitanus. *Diæcesanus*, ad quod accedunt Parrochi, & Presbyteri unius Diæcesis, Episcopo Præsiede. Hoc autem non est proprie Concilium, cum solus Episcopus jurisdictionem, & votum decisivum habeat. In omni vero Congregatione, quæ proprie Concilium vocatur, omnes Episcopi, & alii vere gremiales non tantum sunt Consiliarii, sed Judices cum voto decisivo. Papa tamen non tenetur stare præcise eorum votis, nec majori parti, sed saniori, ut infra dicemus. Ita se gesserunt S. Damasus, & S. Leo nolentes confirmare Concilium Ariminense, & Ephesinum secundum, attendentes veritati, potius quam multitudini. Quibus suppositis.

51. Dicend. est 1. Concilium a Papa confirmatum esse certam regulam fidei, & morum: quia Concilium Generale simul cum Papa est Congregatio, cui infallibiliter assistit Dominus; qui Matth. 13. dixit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Item, quia Concilium Generale simul cum Papa est tota Ec-

Ecclesia, quæ nequit errare, alias ejus error tribueretur Christo Domino, & Spiritui Sancto, qui eam regunt. Si autem sciretur

CONCILIA GENERALIA GRÆCA.

Num.	Nomin.	Annus. Papa.	Imperator	Causa.
1	Nicænum.	325	Silvester 1. Constantinus.	Arius.
2	Sardicense appendix Niceni.	347	Julius 1. Constantinus.	Eusebii factio.
	Constantinopolit. 1.	381	Damasus 1. Theodosius.	Macedonius, & Apollinarii.
3	Ephesinum.	431	Celestinus 1. Theodos. Junior	Nestorius.
4	Calcedonense	451	Leo 1. Marcianus.	Eutyches.
5	Constantinopolit. 2.	553	Vigilius Justinianus.	Tria Capitula.
6	Constantinopolit. 3.	681	Agatho Constantin. Pogonatus.	Monothelitæ.
	Trullanum quini-sextum	sine Papa	Justinianus	Omisio Conditor. Canon. in 5. & 6. Synodo.

Nota: Trullan. Concilium signari sine Papa, quia non habet approbationem Ecclesiæ Latinæ quoad omnes Canones, esto plures eorum sint recepti.

7	Nicænum.	787	Adrianus 1.	Constantin, & Iconoclaste. ejus Mater Irene
8	Constantinopolit. 4.	869	Adrianus 2.	Basil. & August. Photii Schisma.

CONCILIA GENERALIA LATINA

1	Lateranense 1.	1122	Calistus 2. Henricus 4.	Pax ineunda inter Ecclesiam, & Imperium.
2	Lateranense 2.	1139	Innocent. 2. Conradus.	Petrus de Brui.
3	Lateranense 3.	1179	Alexand. 3. Fridericus 1.	Cathari, & Waldenses.
4	Lateranense 4.	1215	Innocent. 3. Fridericus.	Albigenses, Terra Sancta a Turcis recuperanda.
5	Lugdunense 1.	1245	Innocent. 4. Fridericus 2.	Expeditio in Terram Sanctam.
6	Lugdunense 2.	1274	Gregor. 10. Rodulfus.	Processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio.
7	Viennense.	1311	Clemens 5. Henricus.	Templarij destructi. Beguard. & Beguin. Cond.
8	Constantiense.	1414	Durante. Sigismundus.	Schisma. toll. Husit, & Wicl.
9	Basilense ex parte reprob.	1431	Eugenius 4. Sigismundus.	Reformanda Eccles.
10	Florentinum.	1438	Eugenius. Paleologus.	Unio Eccles. Lat. cum Græca.
11	Lateranense 5.	1512	Julius 2. & Maximilianus. Leo 10.	Reformat, & pacificat Eccl.
12	Tridentinum.	1545	Paulus 3. Carolus 5.	Lutherani. Calvinistæ.

52. Dicendum est 2. Concilia etiam Nationalia, aut Provincialia auctoritate Pa-

tudinem operationis. Oppositumque affirmare esset temeritas, & error hæresi proximus. Ratio est eadem quæ supra. Quare in diversis Conciliis particularibus plures hæreses sunt damnatæ, Priscilianus Episcopus Abulensis in Toletano primo, a Leone Secundo approbato, Helvidius in Telesi, approbato a Siricio, Pelagius in Mylevitano, & Cartaginensi approbatis ab Innocentio Primo, & Zosimo. Et novissime anno 1479. in complutensi Præsede Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano damnatus fuit a Sixto IV. Petrus de Oxoma, qui illico se publice retractavit. *Vid. Cano. de loc. l. 6. c. 7.*

53. Dicendum est 3. Quod licet Concilia Nationalia, & Provincialia, vel Diocesana absque confirmatione Pontificis non gaudeant privilegio infallibilitatis, magnæ tamen sunt auctoritatis, eaque consulere debet Theologus pro his, quæ ad peculiarem disciplinam attinent, ut serventur ritus, & consuetudines laudabiles Prælatorum, juxta pias suæ regionis sanctiones. Quia revera hujusmodi Synodis peculiari ratione assistit Spiritus Sanctus; ut congregatis in utilitatem, & instructionem fidelium.

54. Dicendum est 4. Nullum Concilium a Papa non confirmatum esse regulam certam pro fide, & moribus: quia nullum Concilium etiam Generale firmum, & ratum est absque confirmatione Summi Pontificis: ergo nequit certa esse regula pro fide, & moribus, Antec. patet ex pluribus Conciliis tum generalibus, tum particularibus, quæ in varios errores inciderunt, ut Concilium Basiliense, quod sess. 33. male intelligens decretum Concilii Constantiensis, assertit hæreticum esse negantem Concilium non esse supra Papam.

55. Erravit etiam Concilium secundum Ephesinum, quod subscripsit erroribus Dioscori, & Eutichianæ hæresi consensit. Item Concilium Ariminense constans sexcentis Episcopis Arianam hæresim propugnavit. Ex quibus, & similibus satis superque constat nullum Concilium quantumvis Generale esse infallibile sine auctoritate, & confirmatione Summi Pontificis. Constat pariter quod Papa non tenetur stare pluralitati, aut inclusivæ votorum, sed veritati; quia ejus auctoritas non ex votis, sed

ex ductu superno inde fecibili procedit.

S. V.

De Summo Pontifice.

56. Papa dupliciter considerari potest: vel ut est persona privata, & Doctor particularis, quo pacto non agitur de eo in præsentia. Sub hac enim consideratione non dubitamus errare posse, & aliquando de facto errasse; vel ut persona publica, Vicarius Christi, & Doctor universalis loquens ex Cathedra tradens Ecclesiæ doctrinam fidei, & morum. Itaque.

57. Dicendum est Papam, ut Doctorem Ecclesiæ universalis non posse errare circa ea, quæ ad fidem, & mores spectant, *Prob. ex cap. 22. Luca. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi Christus promisit Petro indefectibilitatem in fide, & commisit officium confirmandi fratres suos, hoc est, omnes fideles pusillos, & magnos, absque ulla exceptione, quod privilegium extenditur ad legitimos Petri subcessores; alias promissio parum proficeret Ecclesiæ, quam supra Petrum fundavit, & confirmare voluit, ut in fide perpetuo duraret: ergo Papa ut Doctor Ecclesiæ universalis errare nequit circa ea, quæ ad fidem, & mores pertinent.

58. Hinc inferitur Papam esse supra omnia Concilia etiam Generalia, proindeque illa subesse ejus auctoritati: quod adeo verum existimant aliqui, ut asserant esse de fide: verum alii rectius dicunt oppositum non contra fidem, sed temerarium reputari.

59. Nota duas propositiones damnatas ab Alexandro VII. nimirum num. 22. *Futills & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.* Num. 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

60. Objic. 1. Decreta Concilii Constant. & Basilen. supra memorata, in quibus declaratur Concilium esse supra Papam. 2. Epistola Synodica ejusdem Concilii Basili. ubi

ubi dicitur certum esse Papam posse errare, & alia hujusmodi, quæ approbata fuerunt ab Eugenio IV. in Bulla, quæ sessione 14. publicata fuit. 3. Nicolaus V. Eugenii successor confirmavit omnia, quæ in dicto Concilio Basiliensi concessa, & decreta fuerunt: ergo, Papa fallibilis est, & non supra Concilium Generale.

61. R. ad 1. Concilii Constantiensis decretum non posse intelligi absolute, sed pro certo casu, nempe tempore schismatis. Non erant tunc legitimus Papa, ideoque omnes, & quilibet abs dubio tenebantur subici Concilio Generali. Aderant tres, qui se jactabant Pontifices: ergo Nullus legitimus. Sed demum die S. Martini anno 1417. electus fuit in ipso Concilio Martinus V. qua electione post tempestatem, qua laborabat Ecclesia, facta est tranquillitas magna.

62. Ad 2. neg. Epistolam Synodicam, & acta Concilii Basili. fuisse approbata ab Eugenio; imo ipse Eugenius illam penitus reprobavit in Bulla expedita anno 1439. in Concilio Florentino, ubi annullat omnia sancta in Basiliensi: quod quidem initio fuit legitimum, utpote auctoritate ejusdem Eugenii congregatum, sed in Conciliabulum postea degeneravit. Quod amplius probat nullum Concilium etiam legitime congregatum, ante confirmationem Summi Pontificis esse firmum.

63. Ad 3. respond. Nicolaum V. solum pro bono pacis approbasse decreta Concilii Basili. circa dispensationes, concessionem, beneficia, & alias dignitates, quæ a pseudo Papa Felice, vel a Concilio collata fuerunt. Circa dogmata autem, & in materia juris nihil confirmavit.

64. Inq. 1. An si Papa esset in peccato lethali, adhuc ejus definitio circa fidem, & mores esset infallibilis? R. affirm. quia infallibilitas, & assistentia Spiritus Sancti est gratia gratis data, separabilis, & non præcisè connexa cum gratia sanctificante.

65. Inq. 2. An ad solum Papam pertineat definire controversias fidei, & morum? R. affirm. quia ad solum Petrum dictum est. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Papa definit controversias fidei, & morum, postquam eas discutendas, & examinandas Conciliis, vel Congregationibus, aut Theologis designavit. Igitur non est solus in discussione, sed est solus in defini-

tione. Ita omnes cum *D. Th. 2. 2. q. 11. art. 2.*

66. Inq. 3. An Papa condat articulos fidei? R. neg. quia condere articulos fidei est solius potestatis Dei, aut Christi: ad Papam autem spectat eos declarare, est enim præco Dei, & organum Spiritus Sancti ad explicanda, & dirimenda dubia fidei. Unde non potest addere, aut minuere, sed declarare articulos fidei; qui in Sacra Scriptura implicite continentur, sed non omnino clare exprimentur.

§. VI.

De Sanctis Patribus.

67. Sancti Patres appellantur, qui vera fide, meritis, doctrina, & insigni sanctitate floruerunt. Loquimur autem de illis, ut Doctoribus in materia fidei, & morum; quod enim in aliis materiis scripserunt, neque est ad præsens, neque ad Theologum proprie attinet.

68. Dicendum est ex unanimi consensu Sanctorum Patrum in expositione Sacrae Scripturae, vel circa honestatem operationis firmum sumi argumentum ad fidem, & mores. Assertio est communis Theologorum contra hæreticos, qui parvipendunt auctoritatem Sanctorum Patrum, sed ejus veritatem comprobantur non semel suo exemplo Pontifices, & Concilia. Nam Concilium Nicænum primum vocem *homousion* statuit, quia eam a Sanctis Patribus accepit. In Concilio Ephesino ex relatis Patrum sententiis Nestorius fuit damnatus; Concilium Tridentinum sess. 4. prohibet exponere Sacram Scripturam contra sensum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum. Merito quidem; ipsi enim sunt sal terræ, & lux mundi ad condendum populum electum in vera fide, & rectitudine vite.

§. VII.

De Theologis, & Canonistis.

69. Dicendum est 1. Unanimem consensum Theologorum toto Orbe diffusorum in materia fidei, aut morum esse firmum argumentum, ita ut ei contradicere hæreticum, sive hæresi proximum sit. Quia nul-

lum dogma reperitur omnium Theologorum consensu approbatum; quin idem Ecclesia doceat, & amplectatur; sed dogma approbatum ab Ecclesia firmum est, eique contradicere hæreticum: erg. Idem de consensu communi Theologorum dicendum est.

70. Verum cum in aliqua materia sive Scholastica, sive Morali non omnes conveniant, tunc quod probabilius apparet, est tenendum; & hoc erit firmum argumentum, licet probabilitatis limites non excedat.

71. Dicendum est 2. Concordem omnium Canonistarum sententiam in legum Ecclesiasticarum interpretatione adeo firmam præbere argumentum, ut ei refragari temerarium sit. Tum quia peritis in arte credendum est; tum quia cum Judices Ecclesiæ unanimem Canonistarum omnium sententiam amplectuntur, sine dubio Ecclesia, quæ ab ipsis regitur, & gubernatur, eam approbare videtur.

72. Nota: Quod dum agitur de rebus non solum ad fidem pertinentibus, sed etiam de rectitudine operationis, sive de honestate morum, auctoritas Theologorum auctoritati Canonistarum præferenda est. Ita *D. Thom. quodlib. 11. art. 9. ad 1.* ubi circa dubium an sit peccatum letale comedere cum excommunicato, præfert sententiam Theologorum negantium placito Canonistarum affirmantium.

73. Verum dum agitur de legibus mere Ecclesiasticis, de Censuris, & Officiis, Consuetudinibus, præbendis, & similibus, auctoritas Canonistarum est præferenda. Quare *D. Thom. quodlib. 9. art. 5.* circa dubium an liceat simul habere plures præbendas, & an lex approbetur per contrariam consuetudinem, dicit: *Hæc controversia juris est relinquenda.* Item causæ omnes pro foro fori, seu pro foro externo ad Canonistas spectant; causæ vero pro foro Poli, seu pro foro conscientie proprie ad Theologos attinent.

§. VIII.

De tribus ultimis locis.

74. Tria posteriora loca, nempe ratio naturalis, seu Philosophia, auctoritas peritorum in ea, & in juris prudentia, & denique historia humana, numquam, nisi acce-

dente particulari approbatione Ecclesiæ, & juxta gradum approbationis, possunt tribuere Theologo firmum argumentum ad fidem, & ad rectitudinem morum. Verum ei juvare multum queunt, si sobrio, rectoque fine, ad veritatem melius penetrandam, & falsitatem evidentius improbandam illis operam dederit. Famulantur enim Theologia, sicut Ancillæ.

75. Philosophia igitur plurimum deservit ad intelligentiam Theologiæ, quare nemo sine Philosophia naturaliter Theologus evadere potest. Duo extrema in hac parte vitanda sunt. Aliud eorum, qui sola ratione naturali omnia probare intendunt, aliud illorum qui, ea sprete, suas conclusiones sola Scriptura Sacra, & Sanctis Patribus probare volunt. Utrumque est vitiosum. Ratione ergo naturali utendum est, ut ipsa duce conclusiones Theologiæ clarius percipiantur, ad quas licet non præbeat firmum omnino argumentum, tribuit tamen juxta gradum, vel certitudinis, vel probabilitatis, quam præfert.

76. Juris prudentia plurimum etiam Theologo deservire potest; est enim quadam Ethica naturalis, cujus prima præcepta sunt: *honestè vivere, neminem ledere, jus suum unicuique tribuere*, ad quorum observationem pene omnis Theologia ordinatur. Sed quia terminata voluminum, Legum, Sanctionum, & Glossarum multitudine confusa est, solum in his, quæ usu Reipublicæ Christianæ recepta sunt, prudens, & firmum argumentum Theologo tribuere potest.

77. Denique Historia humana maxime Ecclesiastica non parum utilis est Theologo pro resolutione plurium occurrentium. Est enim quadam recapitatio eorum, quæ sæculis præteritis acciderunt, sine quorum instructione periculo errandi facile exponitur. Immo Theologus sine Historia humana mutus erit. Hinc aliqui alias perspicacis ingenii humana carentes eruditione extrinsecam indocti videntur. Unde inepti reperiuntur ad disputandum cum Hæreticis, qui plus humanæ Historiæ, quam veræ Theologiæ vacant.

CAPUT II.

De Actibus humanis.

Quamvis omnes actus humani sicut morales;

les; pauci tamen callent naturam moralitatis: ideo illam ante alia breviter exponere congruum ducimus.

PUNCTUM I.

De Moralitate.

78. Inq. 1. Unde sumatur nomen Moralitatis, seu Moralitas? R. sumi a *more*, sicut humanitas ab homine. Quoniam repetitus modus libere operandi dicitur *mos*; unde actus humani repetiti appellantur *mores* boni, vel mali: solumque in illis reperitur moralitas formaliter; si autem alia dicuntur moralia, ut consilia, leges, jura, habitus, & objecta tantum sunt vel respective, relative, effective, aut terminative talia. Ubi enim non est actus liber, non adest moralitas formaliter. Hinc repetiti actus Cæcum, aliorumque brutorum dicuntur *assuetudo*, non *mos*; neque morales, aut mores appellari valent ob defectum libertatis, & cognitionis finis, ex qua actus rationalium secernuntur ab actibus irrationalium. Nam agere propter finem ex ejus cognitione est proprium creaturæ rationalis. D. Th. 1. 2. q. 1. a. 7.

79. Inq. 2. Quid sit moralitas? R. moralitas in communi est *respectus realis regulabilitatis, seu commensurabilitatis cum regulis rationis*. Ly. *respectus realis* ponitur loco generis, quia in eo convenit moralitas cum potentiis, habitibus, & aliis respectivis, a quibus differt per sequentes particulas. Ex professo autem in hac definitione dicitur *cum regulis rationis*; non vero cum lege, aut præcepto, quia sunt aliqui actus, qui non præcipiuntur directe per aliquam legem, sed manent sub consilio, ut ingressus Religiosis; emissio voti castitatis, & similia.

80. Ex quibus sequitur 1. essentiam, seu naturam moralitatis consistere in quodam respectu transcendentali ad objectum, ut regulabile per rationem: quia sicut in entibus artificialibus ratio artefacti sita est in ordine ad regulas artis, ita in moralibus ratio moralitatis in ordine, seu relatione ad regulas rationis.

81. Verum hujusmodi relatio non est prædicamentalis, quia relatio prædicamentalis non est genus ad contraria; moralitas autem est genus ad contraria, nempe ad

bonum, & malum: igitur talis relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis: ad objectum quidem, non vero ad legem, quia factum v. g. respicit, vel prohibetur per leges diversas specificè, quin ipsum in esse moris specificè distinguatur.

82. Sequitur 2. Moralitatem non esse ens rationis, ut putavit Vazquez: quia moralitas independentè a fictione intellectus est in actibus voluntatis: erg. nequit esse ens rationis, quod tantum habet esse objective in intellectu. Nec pariter est moralitas denominatio pure extrinseca, ut opinatur non sine fundamento Suarez; quia saltem actus voluntatis intrinsece sunt boni, aut mali, & consequenter morales: erg. moralitas non est denominatio extrinseca; sed *inheret actioni*, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 4. ad 2.

83. Objic. 1. Moralitas in objectis est ens rationis, aut aliqua denominatio extrinseca: ergo etiam in actibus, cum debeant illis proportionari. Resp. negand. antec. quia moralitas objectiva propria, & proxima non est ens rationis, sed ratio quædam intrinseca objecto indistincta realiter ab ejus entitate, exprimens modum habendi se sub lege tanquam sub regula, cui vel consonat, vel disonat, in quantum terminat voluntatis actum, quæ cum realis sit, optime potest specificare, & terminare habitudinem actus realis.

84. Verum adhuc admissio, quod moralitas objectiva esset ens rationis, non bene infertur, quod similiter debeat esse ens rationis in actibus: quia actus, & objectum non exigunt proportionari in esse rei, sed in esse attingibili: ut patet in Logica, quæ per actum realem attingit objectum, quod est ens rationis.

85. Objic. 2. Idem actus potest transire de bono in malum, quin intrinsece mutetur: ergo moralitas non est aliquid intrinsecum. Antec. patet, tum in actu esus carniæ continuati a Feria 5. in Feriam 6. qui cum sola mutatione extrinseca temporis, & legis transit de bono in malum. Et idem videre licet in pluribus exemplis. R. quod prædictus actus, & alii ejusdem rationis, licet in esse phisico non variantur, semper tamen variantur in esse moris: quia ante prohibitionem habent respectum ad objectum rationi consonum: sed post illam ad objectum rationi dissonum: qui quidem res-

pe-

PUNCTUM II.

De libertate requisita ad moralitatem.

pectus sunt specificè diversi in esse moris.

86. Objic. 3. Quod actus sit prohibitus, vel non, unice dependet ex voluntate Legislatoris; sed hæc nihil intrinsecum ponit in nostris actibus, ut patet in Magistratibus, Officiis, & Dignitatibus, quæ purè denominationes extrinsece sunt a voluntate ea conferentis: ergo. Respond. distinguendo minorem: nihil intrinsecum ponit in nostris actibus immediate, conced. min. mediante lege, & prohibitione, nego min. Supposita enim lege, aut prohibitione resultat in actibus humanis ille respectus conformitatis, vel deformitatis cum objecto prohibito, vel imperato, qui intrinsecus est, & non ponitur immediate a Legislatore, sicut accidit in Magistratibus, Officiis, & Dignitatibus, quæ in sola denominatione extrinseca designantis consistunt.

87. Inq. 3. Quotplex sit moralitas. Resp. moralitatem dividi adæquate in bonitatem, & malitiam, tamquam in duas species essentielles. Ita D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 5. in corpore dicens: *Differentia boni, & mali circa objectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet, secundum quod objectum est ei conveniens, vel non conveniens: Unde manifestum est, quod bonum, & malum diversificant speciem in actibus moralibus, differentia enim per se diversificant speciem.*

88. Probatur ratione: Quia moralitas in communi contrahitur per actum conformem, vel difformem ad regulas rationis; sed contracta per actum conformem induit bonitatem; & per difformem, malitiam: ergo moralitas dividitur adæquate in bonitatem & malitiam. Ex quo fit non dari actus indifferentes in individuo, nec tertiam speciem moralitatis, nempe indifferentiam, quæ sit vera, completa, & perfecta species, sed tantum imperfecta, incompleta, & negativa, eo quod licet secundum speciem, & objective sit indifferens, ut fricare barbam, levare festucam; in individuo tamen, si deliberate fiat, necessario contrahit bonitatem, aut malitiam. Si enim indeliberate procedant, sunt quidem actus hominis: sed non humani. D. Thom. loc. cit. a. 8. & 9.

Tom, I.

89. Inq. 1. Quid sit libertas? R. Est *facultas voluntatis, & rationis habens se ad utrumlibet*. Dividiturque primo in *actualem, & potentialem*. *Actualis* est quando reipsa, & in exercitio operatur homo cum indifferentia; *potentialis* vero dum elicitur operatio sine exercitio talis indifferentiæ, ut in amentibus, & ebriis. 2. Dividitur in libertatem *contradictionis, & contrarietatis*: libertas *contradictionis* consistit in eo quod voluntas possit agere & non agere: ut amare & non amare: libertas autem *contrarietatis* sita est in eo, quod voluntas possit versari circa extrema contraria, ut amor & odium.

90. Inq. 2. An libertas actualis, vel solum potentialis requiratur essentialiter ad moralitatem? R. Libertatem actualem formalem, sive virtuaalem, directam, aut indirectam esse omnino necessariam ad moralitatem actus: quia actus moralis debet esse regulabilis per legem, quippe ubi non est lex, nec prævaricatio; sed regulabilitas solum potest reperiri in actibus liberis: ergo libertas actualis, sive virtualis requiritur essentialiter ad moralitatem actus. Prob. min. quod est regulabile debet esse indifferens saltem in sua causa ad unum, vel aliud extremum amplectendum; si enim esset necessario determinatum ad unum, per nullam legem potest regulari: ergo regulabilitas quæ est propria moralitatis, solum potest inveniri in actibus liberis formaliter, sive virtualiter. Ita D. Thom. 1. 2. q. 1. a. 1. & q. 18. a. 9.

91. Oppones 1. Si vir & femina amentes carnaliter se cognoscerent, talis actus esset moralis, cum peccaret de facto, qui eos conjungeret; licet non peccaret, qui duo pecora conjungeret; & tamen talis actus non esset actualiter liber: ergo absque libertate actuali datur actus moralis. R. neg. major. quia talis actus in amentibus non est moralis, ideo nec formaliter malus, sed tantum objective, & per hanc malitiam objective distinguitur talis congressus a congressu pecorum; & hæc est ratio cur iste congressus, qui nec objective est malus, possit sine peccato procurari, non vero alius.

D

92.

92. Oppones 2. Homicidium, aut incestus factus ab ebrio sunt actus non liberi; & tamen sunt morales cum aliqua malitia, cum nullus possit de eis complacere: ergo sunt actus mali per solam libertatem potentialem, vel aptitudinalem. R. neg. min. quia homicidium perpetratum ab ebrio, si nullo modo est prævium, non est peccatum, & consequenter nec actus moralis respectu illius ob defectum libertatis actualis, & prævionis; quod autem nemo possit de tali homicidio complacere, oritur ex eo, quod tale homicidium est obiective malum, sicut dictum est de congressu amentium. Et omnium horum ratio est: quia homicidium, copula, & alia huiusmodi semper manent sub prohibitione legis; licet a transgressione ejus excusentur amentes, & ebrii ob defectum prævionis, aut cognitionis actualis & libertatis requisitæ ad moralitatem. Unde justissime proscripserunt ab Innocentio XI. propos. 15. quæ docebat: *Licetum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consequutas.*

93. Inq. 3. An sufficiat ad moralitatem libertas contradictionis, an ulterius requiratur libertas contrarietatis? R. salvari moralitatem cum sola libertate contradictionis. Prob. rat. illa libertas sufficit ad moralitatem, quæ sufficit ad meritum; sed ad meritum sufficit libertas contradictionis, ut patet in Christo Domino: ergo etiam sufficit ad moralitatem. Deinde, semel quod actus non sit a natura determinatus ut sit, vel non sit, potest lex illum ad extremum rationis determinare; sed hoc ipso est commensurabilis cum regulis moralitatis: ergo actus gaudens sola libertate contradictionis, potest esse formaliter moralis. Nec obest quod *Eccles. 31. laudatur; Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit*: erg. libertas contrarietatis videtur requiri ad moralitatem, & meritum. Nam ad hoc resp. quod ibi solum commendatur præcipue ad meritum libertas contrarietatis, utpote digna majori laude, non vero quia necessaria sit essentialiter ad illud, ut dictum est; cum similiter salvetur meritum cum sola libertate contradictionis.

94. Inq. 4. An libertas requiratur ad moralitatem, ut constitutum illius, vel solum ad fundamentum? R. Libertatem non

esse constitutum moralitatis, sed solum fundamentum illius: quia ratio liberi, & ratio moris pertinet ad ordines diversos: ergo libertas non est forma constitutiva moralitatis. Ant. patet: quia ratio liberi pertinet ad ordinem physicum naturæ, sicut gradus intellectivus; ratio vero moris pertinet ad ordinem morale. Tum sic: sed quæ pertinent ad distinctos ordines, seu genera, physicum videlicet, & morale non sunt formaliter idem: ergo neque libertas est idem formaliter cum moralitate. Deinde: antequam intelligamus moralitatem in actibus, intelligimus libertatem, hoc est voluntatem libere velle, aut nolle quod ei ab intellectu proponitur: ergo licet libertas requiratur essentialiter, ut fundamentum moralitatis, non tamen est ipsa moralitas.

95. Objic. 1. Posita libertate in actu ponuntur proprietates moralitatis, nempe esse dignum laude, aut vituperio: ergo ponitur etiam ejus essentia. R. Quod proprietates moralitatis, ut præmium, aut supplicium, præsupponunt essentialiter libertatem, illamque comitantur, non vero oriuntur ab ipsa tamquam ab essentia, sed solum tamquam a fundamento ipsius moralitatis: hæc enim contracta per bonitatem gignit actum dignum laude, & præmio; per malitiam, supplicio, & vituperio.

96. Objic. 2. Ideo odium Dei in amente, & motus primo primi de objecto peccaminoso non sunt bona, aut mala, quia non sunt libera: ergo libertas constituit esse morale. R. dist. antec. quia non sunt libera præsuppositive conc. min. formaliter, neg. min. & conseq. quia tales actus, & motus ideo non sunt boni, aut mali, quia deficit illis fundamentum moralitatis, nempe libertas: non quia hæc sit forma constitutiva moralitatis, & malitiæ: libertas igitur invariata manens eodem modo respicit objectum, sive consonum, sive dissonum regulis morum: quod evidenter probat non esse constitutum moralitatis, sed quid præsuppositum ad illam.

PUNCTUM III.

De Voluntario.

97. Inq. 1. Quid sit voluntarium? R. Est quod procedit ab intrinseco cum cognitione

fi-

finis: dividitur in voluntarium necessarium, & liberum. Necessarium est, quod procedit a voluntate determinata ad actum: v.g. amor, quo Beati diligunt Deum, qui taliter a voluntate procedit, ut non possit ab eo cessare. Voluntarium liberum est, quod procedit a voluntate cum plena indifferentia, ut communiter accidit in actibus nostræ voluntatis. Deinde voluntarium liberum dividitur in perfectum, quod egreditur a voluntate cum plena cognitione; & in imperfectum, quod egreditur cum semi plena cognitione. Rursus aliud est voluntarium formale, ut actus ipse volendi, aliud virtuale, ut continuatio non interrupta ipsius actus formalis. Præterea aliud est voluntarium physicum, ut cum aliquis per se ipsum operatur: & aliud morale, ut cum in nomine alterius quis operatur, ut in consilio, aut mandato. Aliud insuper est voluntarium expressum, ut volo deambulare, aliud implicitum, & interpretativum, quod quavis expresse non intendatur; tamen ex facto, vel omissione illi imputatur: quod etiam indirectum appellatur, ut in mutuo, non obstante, non manifestante, cum teneatur loqui, ob stare, & manifestare, & non faciunt. Et idem est in eo, qui ludo vacat, dum erat sacrum audiendum. Tandem aliud est voluntarium in se: ut dum volo largiri elemosinam: aliud voluntarium in causa: ut dum quis se inebriat, prævidens se in ebrietate blasphemias prolaturum.

98. Inq. 2. An voluntarium requiratur essentialiter ad moralitatem? R. affirm. sic D. Thom. in 2. dist. 24. art. 2. *Ibi incipit genus moris, ubi incipit dominium voluntatis.* Prob. ratione: quia omnis actus moralis debet esse bonus, vel malus; sed ut sit bonus, vel malus debet essentialiter esse voluntarius: ergo voluntarium requiritur essentialiter ad moralitatem. Prob. minor. quia non imputatur voluntati actus, qui ab ipsa non egreditur, ut per se patet: ergo omnis actus, ut sit bonus, vel malus debet egredi a voluntate, & consequenter esse voluntarius.

99. Objic. Omissio peccaminosa est voluntaria; & tamen non egreditur a voluntate, cum sit privatio: ergo ut actus moralis sit malus, vel bonus non requiritur præcisè quod egrediatur a voluntate. R. quod omne peccatum necessario a voluntate debet procedere: quia ut inquit D. Aug.

lib. De vera Religione cap. 14. *Aut Negandum est peccatum committi, aut fatendum est a voluntate committi.* Omissio ergo, licet mera privatio sit, nequit esse peccaminosa absque alio actu voluntatis procedente, vel concomitante, ratione cujus est voluta, & suo modo egreditur a voluntate, constituiturque voluntaria, & moralis.

100. Inq. 3. An voluntarium, & liberum sit formaliter idem? R. neg. quia liberum ad sui consistentiam necessario exigit indifferentiam iudicii, & facultatem ad posse agere, & non agere; voluntarium vero solum importat, quod procedat a voluntate cum cognitione finis, ut finis, hoc est, ut cognoscat proportionem mediorum cum eodem fine, in quo secernitur homo a brutis, sed præscindit quantum est ex se, quod actus sit liber, vel necessarius. Et hinc inferitur omne liberum esse voluntarium, sed non e contra: quia voluntarium est quid superius, & latius, quam liberum; unde amor Beatorum erga Deum est voluntarius, non vero liber: quod potiori ratione verum tenet de amore æterno, quo Personæ Divinæ infinite se diligunt.

PUNCTUM IV.

De involuntario, & ejus causis.

101. Inq. Quid sit involuntarium? R. est quod procedit ab extrinseco, vel sine cognitione finis. Definitio est clara; ideo enim aliquid est involuntarium, vel quia procedit ab extrinseco, vel quia procedit ab intrinseco sine cognitione finis. Quatuor sunt causæ involuntarii nempe *violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia*, de quibus quidam sigillatim dici oportet pro involuntarii majori luce. Ex D. Thom. 1. 2. q. 6.

§. I.

De Violentia.

102. Inq. 1. Quid sit violentum? R. est quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim. Unde duo requiruntur ad violentum: primum quod principium violentiæ sit extrinsecum, quia si esset intrinsecum, esset naturale. Secundum, quod violentiæ subjectum in eam non influat per suam

suam vim, aut virtutem, sed resistat positive. Violentia differt a coactione in eo, quod hæc proprie solum reperitur in viventibus, quia opponitur proprio voluntario; violentum autem etiam in non viventibus adest, ut in lapide sursum projecto. Conveniunt in eo, quod nec violentia, nec coactio simpliciter talis reperitur, ubi deficit resistentia positiva. Unde verus Martyr non patitur violentus, aut coactus, quia non resistit positive tormentis, nec tortoribus, esto eorum iniquæ actioni repugnet.

103. Inq. 2. An voluntas possit pati violentiam in suis actibus? R. neg. quia actus voluntatis essentialiter sunt voluntarii: ergo nequeunt esse violenti, aut coacti. Unde in velle, & nolle, aut in amore, & odio, a nemine potest cogi voluntas, quia sunt actus ab ipsa elicit, proindeque essentialiter voluntarii. Potest autem pati violentiam a Deo quoad cessationem suorum actuum; quia potest Deus negare concursum, ad illos eliciendos, vel continuandos. Valet etiam voluntas pati violentiam, quoad actus ab ipsa imperatos, sed ab aliis potentiis eliciendos, ut ad oculos aperiendos, quos ipsa vult clausos, vel ad alias actiones corporeas. Adverte tamen non facile esse credendas foeminas dicentes sibi viros vim intulisse; sæpe enim sic Judices fallunt. At multo minus sunt credendæ quædam mysticæ falsæ, asserentes se a dæmone ad inhonesta coactas fuisse; quia licet id methaphisice non repugnet, repugnat tamen modo ordinario Providentiæ Divinæ, & honestati profectus spiritualis.

104. Ex dictis infertur nullum actum simpliciter violentum esse moralem, atque adeo neque bonum, neque malum, meritorium, vel demeritorium; quia tota moralitas, & ratio meriti, & demeriti fundatur supra rationem voluntarii, quod destruit violentum, cum causet involuntarium: qua ratione non erit validum baptismus v. g. violentè receptum.

De Metu.

105. Inq. 1. Quid sit metus? R. Est passio, quæ refugimus malum futurum, cui re-

sistit non potest. Ita D. Thom. 1. 2. q. 41. Metus alius est ab *intrinsicco*, ut ab infirmitate, naufragio, incendio, & dicitur ab *intrinsicco*, quia metuens ipse sibi talem obligationem imponit, ut periculum evadat; alius est ab *extrinsicco*, nempe a causa libera ad aliquod cogente: qui subdividitur in metum *juste*, & *injuste* incussum. Metus justus est, cum quis minatur malum, quod juste inferre potest. Metus vero injustus, cum qui malum minatur, juste illum inferre nequit. Præterea alius dicitur metus absolute gravis, seu cadens in virum constantem; alius absolute levis, seu cadens in virum inconstantem. Primus est, qui rationabiliter potest commovere virum constantem. Pro quo quinque conditiones assignantur. 1. Ut malum, quod timetur, sit grave; ut mors, mutilatio, exilium, aut aliud dispendium grave famæ, honoris, divitiarum, vel in sua persona, vel in aliis conjunctis. 2. Ut non vane, & leviter id a timente existimetur. 3. Quod metum incutiens potens sit, minas executioni mandare. 4. Ut minans sit solutus ita exequi. 5. Quod tale periculum nequeat facile a timente vitari. Metus viri inconstantis per oppositum dicitur, cui aliqua ex dictis conditionibus defuerit. Denique alius est metus incussus ex fine extorquendi consensum, alius ex altero fine. Nota, quod metus est considerandus gravis, aut levis respectively, nam metus levis respectu viri potest dici gravis respectu foemine, aut e contra.

106. Inq. 2. An actus facti ex metu gravi sint simpliciter voluntarii? R. affirm. Prob. ratione, quia id quod est juxta inclinationem efficacem voluntatis, & egreditur ab illa, est simpliciter voluntarium; sed projectio v. g. mercis in mare ex metu mortis est hujusmodi: ergo simpliciter voluntaria; alias projectio mercis est nolita inefficaciter, quia est contra inclinationem conservandi mercem: ergo involuntaria est, sed solum secundum quid. Itaque in illa projectione mercis triplex actus voluntatis reperitur: primus simplex amor conservandi mercem. Secundus amor efficacis conservandi vitam. Tertius est electio efficacis projectionis mercium ad conservandam vitam, id est electio minoris mali ad evitandum majus. Unde actus, & contractus facti ex metu sunt voluntarii simpliciter, & involuntarii.

luntarii solum secundum quid; Ita D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6.

107. Obj. 1. Observatio mandatorum Dei ob metum inferri non est mixta ex voluntario, & involuntario: ergo non omnia, quæ sunt ex metu afferunt involuntarium. Prob. ant. nam tunc non datur nolitio observationis mandatorum, quia si daretur, esset peccaminosa, contra id, quod a Trident. definitum est, sess. 6. Canon. 8. *Si quis dixerit: gehennæ metum, per quem in adi misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit: ergo.* R. quod quando objectum per metum electum, secundum se est bonum, ut in præsentem, in ejus electione non debet necessario procedere aliqua nolitio, & propterea observatio legis ob metum gehennæ non debet esse involuntaria ullo modo: assertum autem solum intelligitur de electione objecti, quod secundum se est malum, & tamen voluntas illud amplectitur ad evitandum majus malum. Si vero contingat, quod procedat aliqua nolitio circa opus præceptum, distinctione utendum est: nam hujusmodi nolitio vel terminatur ad opus, ut præceptum, in qua includitur hic actus, *si non esset infernus, non observarem legem*, & tunc ille affectus est improbus: vel terminatur ad opus præceptum, prout affert aliquid molestiæ, & laboris, & tunc observatio præcepti est bona: licet mixta ex voluntario, & aliquo involuntario, seu repugnantia partis inferioris.

108. Obj. 2. Metus gravis excusat a culpa violentam legem, & ita qui frangit jejunium, & omittit sacrum ex metu gravis damni non peccat; sed non alia ratione potest excusari a culpa, nisi quia talis fractio est involuntaria: ergo operatio facta ex metu gravi non est simpliciter voluntaria. R. Negando min. fractio enim illa simpliciter voluntaria est: sed ideo vacat a culpa, quia leges humane, & aliquæ divine, ut suis locis dicitur, non obligant cum periculo gravis damni.

109. Obj. 3. Plures contractus ex gravi metu facti sunt invalidi, ut matrimonium, professio religiosa, & alii: ergo metus causat involuntarium simpliciter. R. neg. conseq. Contractus illi voluntarii simpliciter sunt, ideo jure nature validi; jus vero positivum rationabiliter potuit illos

irritare, & de facto irritat ob bonum Reipublicæ, & ut plena libertas servetur, & injuria propulsetur. Quod non est involuntarium, quia non est mixtum ex voluntario, & involuntario. De Concupiscentia. Quid intelligatur nomine concupiscentiæ, quæ minuit voluntarium? R. quod intelligitur vehemens passio appetitus sensitivi circa aliquod objectum delectabile. Alia est antecedens, quia præcedit actum rationis, & voluntatis, & est causa illius, ut dum ex aspectu inimici accenditur ira ad vindictam: alia est consequens, quia consequitur actum voluntatis, & non minuit sed auget voluntarium, ut recogitatio injuriæ sibi illata: pro acerbiori vindicta.

111. Concupiscentia ergo antecedens licet auget voluntarium imperfectum; tamen minuit voluntarium perfectum, & liberum quia de ratione voluntarii perfecti est, quod procedat ex perfecta cognitione finis, & circumstantiarum, sed concupiscentia antecedens minuit hanc cognitionem finis, & interdum tollit, vel impedit eam, ut experientia liquet: videmus enim quod ad incrementum, vel decrementum passionis etiam augetur, vel minuitur advertentia finis, & proportionem mediatorum cum illo, necnon in omnes circumstantias, quæ occurrunt, & talis passio ita potest crescere, & aliquando crescit, ut totaliter absorbeat usum rationis, & aliqui fiunt amantes: ergo concupiscentia minuit, & aliquando tollit voluntarium perfectum liberum. Idemque dicendum est de quacumque passione vehementi.

112. Unde gravior peccat, qui deteriori vino, quam qui nobiliori se inebriat quia in isto est major excitatio concupiscentiæ, & minus de voluntario perfecto, & libero, licet in alio sit magis de voluntario bestiali, & imperfecto.

113. Pro quo nota triplicem esse gradum voluntarii. Primus est communis brutis, & rationalibus, ac consistit in eo, quod actus sit a principio intrinsicco cum cognitione finis, vel objecti: qui actus absolute dicitur voluntarius, esto imperfectus. Secundus consistit in eo, quod actus sit cum cognitione etiam circumstantiarum objecti, & dicitur voluntarius perfectus. Tertius

tius in eo, quod actus fiat cum indifferen-
tia, & omnimoda libertate, & dicitur vo-
luntarius liber, concupiscentia igitur, li-
cet saepe acuat voluntarium imperfectum,
ut patet in primo ebrio; minuit tamen vo-
luntarium perfectum, & liberum, quia
passio vehemens perturbat rationem, ita
ut aliquando auferat libertatem, ut pa-
tet in amentibus, v. g. ex tristitia. Ex
quo provenit, quod concupiscentia ante-
cedens minuatur voluntarium perfectum, &
consequenter peccatum. Ita D. Thom. 1.
2. q. 6. art. 7.

§. IV.

De Ignorantia.

114. Inq. 1. Quid sit ignorantia? R.
Quod ignorantia in communi est *carentia
cognitionis*. Verum prout in presenti est:
carentia scientiæ possibilis adipisci: ad dis-
tinctionem nescientiæ, quæ est *carentia no-
titiæ eorum, ad quæ quis non tenetur*, ut
an sydera sint parva. Quidquid dictum fue-
rit de ignorantia, applicari debet inconsi-
derationi, quæ est *carentia debite inspe-
ctionis*: Oblivioni, quæ est *carentia debite
recognitionis*; & inadvertentiæ, quæ est
carentia debite considerationis: sunt enim
culpabiles, vel non, eodem modo, ac ip-
sa ignorantia juxta infra dicenda.

115. Inq. 2. Quotplex sit ignorantia.
R. Est multiplex; potest enim dividi, vel
ex parte *subjecti*, vel ex parte *objecti*: vel
ex parte *temporis*: vel ex parte *voluntatis*,
& *culpæ*. Primo igitur dividitur igno-
rantia ex parte *subjecti* in *negativam*, *pri-
vativam*, & *positivam*: Negativa est *ca-
rentia cognitionis in subjecto inepto*; ut in
lapide, & perpetuo amente. Privativa est
*carentia cognitionis in subjecto apto ad il-
lam*: ut ignorantia fidei in homine adul-
to. Positiva est *carentia cognitionis cum po-
sitivo errore*: quæ etiam appellatur *igno-
rantia prave dispositionis*. Ut si quis ig-
norat hunc contractum esse usurarium, habet
ignorantiam privativam, vel puræ pri-
vativæ; si vero ulterius putet contractum
usurarium esse licitum, habet ignorantiam
positivam, vel prave dispositionis. Pri-
vativa ignorantia potest esse, vel habitualis,
vel actualis; dum vero est actualis proprius
dicitur oblivio, inadvertentiæ, seu incon-

sideratio, quam ignorantia.

116. Secundo. Ex parte *objecti* dividitur
in ignorantiam *juris, facti*, & *pænæ*. Ig-
norantia *juris* est *carentia cognitionis legis*,
aut *præcepti*. Ut si quis ignorat tali die
esse præceptum jejunandi. Ignorantia *fac-
ti* datur, quando lex quidem scitur, sed ig-
noratur factum. Ut si quis sciens stare cen-
suram contra occisores Clerici, ignoret
hunc, quem occidit, esse Clericum. Igno-
rantia denique *pænæ* est, quando scitur,
lex, ignoratur tamen pœna a lege imposi-
ta: ut qui sciret homicidium esse prohibi-
tum etiam ab Ecclesia, ignorat tamen pœ-
nam irregularitatis.

117. Tertio dividitur ignorantia ex par-
te *temporis* in ignorantiam *antecedentem*,
concomitantem, & *consequentem*. *Antecedens*
est, & dicitur, quia antecedit consensum
liberum voluntatis, & coincidit cum invin-
cibili, qua deficiente, actus non feret, ut
occidens hominem judicans invincibiliter
esse feram. Ignorantia *concomitans* est illa,
quæ comitatur actum voluntatis, taliter, ut
sine illa effectus eodem modo feret: ut
cum Joannes occidit inimicum, credens
esse feram, quem tamen eodem modo oc-
cideret, si sciret esse inimicum: hæc ig-
norantia reducitur ad invincibilem, si ap-
ponat diligentias debitas, & ad vincibilem,
si omisit. Dum est invincibilis, non est
peccaminosa in se ipsa, quia non influit
in homicidium: arguit tamen occidentem
esse in peccato: quia est in preparatione
animi ad occisionem inimici. Ignorantia
consequens est *carentia cognitionis conse-
quens voluntatem*: ut ignorantia præcep-
torum in eo, qui positive non vult edoceri.

118. Quarto dividitur ignorantia ex par-
te *voluntatis*, & *culpæ* in *invincibilem*, &
vincibilem. *Invincibilis* est *carentia cog-
nitionis, quæ, prudenti adhibita diligentia,
acquiri non potuit*; & ideo inculpabilis est.
Soletque appellari antecedens, & probabi-
lis. Ignorantia *vincibilis* (quæ solet dici
voluntaria, injusta, improbabilis, & con-
sequens) est, quæ prudenti diligentia vin-
ci potest.

119. Ultimo dividitur ignorantia vinci-
bilis in *affectedam*, *crassam*, & *supinam*.
Affecteda est, *qua quis, data opera, & ex
consilio vult ignorare, ut liberior peccet*:
juxta illud Psalm. 35. *Noluit intelligere,
ut bene ageret*. Ignorantia *crassa*, & *supi-*

na parum inter se differunt: *Crassa* est,
quando aliquis *maxima desidia detentus, fe-
re nullam diligentiam apponit, in adiscendo
ea, ad quæ tenetur*: admodum quo homi-
nes crassi desides esse solent. *Supina* est,
quando parva adhibetur cura ad eam depel-
lendam: sicut qui in lecto supinus jacet,
nihil, vel parum de rebus curans.

120. Præterea: alia est ignorantia, quæ
pure vincibilis dicitur, & consistit in eo,
quod quis apponat majorem diligentiam,
quam ad depellendam *crassam*, & *supinam*;
sed non tantam, ut res, & circumstantiæ
exigunt, ut a peccato excusetur. Prob-
ratione, quia ignorantia *crassa*, aut *supi-
na* est quando modica, aut exigua ponit
diligentia ad discendum; sed potest ali-
quis peccare mortaliter apponendo majo-
rem diligentiam, licet non eam, quæ ne-
cessaria est ad non peccandum mortaliter:
ergo potest dari ignorantia mortaliter cul-
pabilis, quia sit *crassa*, vel *supina*. Prob-
min. Supponamus diligentiam necessariam
ad mortaliter non peccandum debere esse
in decem: si quis tunc apponit diligen-
tiam ut duo, vel tres, aliquam diligen-
tiam apponit, sed adeo exiguam, ut pro
nulla reputetur: & sic tunc peccabit ex ig-
norantia *crassa*, aut *supina*, si vero alter
ponat diligentiam ut octo, etiam pecca-
bit mortaliter, non tamen ex summa ne-
gligentia, quia fere accedit ad diligen-
tiam necessariam ad non peccandum mor-
taliter: ergo hic, licet peccet, non be-
ne dici potest peccare ex ignorantia *cras-
sa*, aut *supina*, sed alia *pure vincibili*, &
mortaliter culpabili. Unde dabilis est igno-
rantia mortaliter culpabilis, quæ non sit
crassa, aut *supina*.

§. IV.

Quando ignorantia sit peccaminosa?

121. Inq. 1. An ignorantia causet involun-
tarium? R. 1. Ignorantiam invincibilem
antecedentem causare involuntarium
simpliciter respectu illius objecti, vel cir-
cumstantiæ, de quibus est ignorantia. Ita
D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. Ratio patet,
quia non datur voluntarium sine prævia
cognitione; sed ignorantia invincibilis an-
tecedens tollit cognitionem objecti, vel
circumstantiæ: ergo causat involunta-

rium simpliciter.

122. Resp. 2. Ignorantiam concomitan-
tem non causare involuntarium, neque vo-
luntarium, sed non voluntarium. Sic D.
Thom. *ibidem*: & ratio est, quia nequit
causare voluntarium, cum objectum sit
omnino ignotum, & sine debito cognos-
cendi, nam si staret debitum, esset ante-
cedens vincibilis: neque causat involun-
tarium, quia actus, nec displicet, nec re-
pugnat voluntati: ergo tantum efficit non
voluntarium.

123. Resp. 3. Ignorantiam vincibilem
minuere voluntarium; affectatam vero il-
lud regulariter augere; quia ignorantia
vincibilis minuit cognitionem: ergo mi-
nuat voluntarium; sed quia affectata regu-
lariter impedit cognitionem, ut liberior
peccet, ideo regulariter auget voluntarium:
diximus regulariter, quia si procedat ex
motivo desidiæ, aliquantulum diminuit.

124. Inq. 2. An ignorantia vincibilis sit
in se formaliter peccatum, & distinctum ab
eo, cujus est causa? Supponitur 1. igno-
rantiam invincibilem non esse peccatum
neque in se, neque in sua causa, vel ef-
fectu, quia ut dictum est, tollit volunta-
rium. Supponimus 2. ignorantiam vincibi-
lem esse peccatum in sua causa, vel effec-
tu, quia veritas Catholica est dari pecca-
ta ignorantia, juxta illud Psalm. 24. *De-
licia juventutis meæ, & ignorantias meas
ne memineris*; sed hæc non sunt peccata ig-
norantia invincibilis: ergo vincibilis. Er-
go ista est peccatum, saltem in sua causa,
vel effectu: his suppositis.

125. R. Ignorantiam actualem vincibi-
lem esse formaliter peccatum in se ipsa: &
ratio est, quia ommissio in actu secundo vo-
luntaria actus debiti est in se formaliter
peccatum; sed ignorantia actualis est omis-
sio voluntaria in actu secundo actus debiti,
nempe debite cognitionis: ergo est in se
formaliter peccatum: quod quidem pecca-
tum distinctum est ab illo peccato, cujus est
causa ipsa ignorantia.

126. Pro cujus majori intelligentia no-
ta: quod ignorantia potest prohiberi prop-
ter se, & etiam propter opus præceptum:
quando ergo ignorantia prohibetur prop-
ter se, & ratione sui est distinctum pec-
catum, oppositum pro defectum virtuti stu-
diositatis, pertinensque ad vitium negli-
gentiæ: ut ignorantia mysteriorum fidei;
quan-

quando vero non prohibetur propter se, sed ratione operis præcepti, tunc ipsa ignorantia actualis non est peccatum distinctum ab omissione operis præcepti, ut ignorantia diei festi, quæ non est peccatum diversum ab omissione auditionis sacri. Et si scire velis, quandonam in particulari ignorantia est diversum peccatum, & prohibita propter se. Dicitur, quod semper, ac omittitur illa scientia, ad quam quis tenetur ratione sui officii, & status. Unde omnes tenentur scire mysteria fidei præcipua, leges communes ad mores pertinentes, nempe præcepta Decalogi, & Ecclesie, & quæ concernunt Sacramenta; præterea quisque tenetur scire leges, & statuta ad proprium statum, & officium pertinentia.

127. Ex quo patet Prælatum, Confessarium, Judicem, Advocatum &c. Lethaliter peccare, quoties muneratur, & leges sui officii scire negligunt; non solum in ipsa negligentia, sed tot peccata committere, quot sequuntur; aut sequi possunt ex illa ignorantia, quorum periculum proximum prævidetur in causa, aut prudenter, & moraliter timeri potest. Hæc præ oculis habeant Confessarii illi, qui vix summam moralem salutarunt, & sine discrimine omnium confessiones excipiunt, quorum culpam, & errorum solus Deus testis, & iudex erit, reddens unicuique juxta opera sua.

128. Inq. 3. Quomodo cognoscatur, quod ignorantia sit vincibilis? R. Quoties in principio, vel toto operationis processu nulla subest cogitatio, advertentia, aut recordatio actualis, seu virtualis directa, vel indirecta, particularis, vel in confuso circa obligationem, si sit ignorantia juris, vel circa conditionem objecti, si sit ignorantia facti, esse ignorantiam invincibilem. Ratio est: quia seclusa omnino tali advertentia, non habet homo sufficiens principium, unde possit circa ea, quæ ignorat, discurrere, & inquirere; superat enim humanam diligentiam, expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorsus occurrit cogitatio, aut recordatio. Idque verum esse affirmamus, etiamsi cognoscatur totum objectum in esse physico, non vero in esse morali; quia cognitio precise entitatis physica non est sufficiens principium inquirendi circa mora-

litem. Nota tamen esse quædam objecta, vel actus, nempe odium Dei, blasphemia, homicidium, & similia, quorum malitia est adeo per se nota, ut a nullo, plene advertente eritatem, possit saltem sub dubio, vel scrupulo non adverti. Unde difficilius possunt excusari propter ignorantiam peccata, quæ sunt contra jus naturæ, quam alia, quæ versantur contra jus positivum. Non potest dari ignorantia invincibilis de Existentia Dei.

129. Ex quibus inferitur 1. Ignorantiam esse vincibilem, quoties circa obligationem, vel objectum in esse morali adest aliqua cogitatio, advertentia, vel dubium, & non apponitur diligentia sufficiens ad inveniendam veritatem. Hæc autem diligentia debet esse gravis, & prudens, proportionata præceptorum dignitati, & nature negotii, aut objecti; ita ut major sit apponenda in materia juris naturalis, & divini, quam circa præcepta juris humani.

130. Inferitur 2. Quod dum ignorantia prohibetur per se, & ratione sui, est peccatum ignorantie oppositum virtuti studiositatis per defectum, aperiendum necessario in Confessione; cum vero ignorantia prohibetur non per se, sed ratione alterius præcepti, peccatum commissum cum ipsa, vel propter illam, est unicum, & ejusdem speciei, ac si scienter committeretur: ut omisso auditionis sacri ex ignorantia vincibili est unicum peccatum, & ejusdem speciei, ac si scienter omitteretur.

De regulis Moralitatis.

131. Inq. 1. Quot, & quæ sint regule Moralitatis? R. Sunt duæ. Prima universalis extrinseca, & remota est lex æterna; divina, scilicet mens; seu ratio Dei omnis rectitudinis indefectibile exemplar: secunda vero, proxima, intrinseca, & homogenea regula Moralitatis est dictamen practicum rationis, seu conscientia: sic D. Th. 1. 2. q. 71. art. 6.

132. Prob. ratione prima pars assertio- nis. Regula prima moralitatis debet esse indefectibilis in dirigendo actus morales in proprium finem, qui est Deus; sed nulla

natura rationalis, nec creatura potest esse indefectibilis regula dirigens in Deum, sed solum lex æterna in mente divina existens: ergo sola hæc est firma regula moralitatis.

133. Secunda pars etiam probatur: nam illa est regula firma, & intrinseca moralitatis, per quam nobis intimatur lex æterna indefectibilis; sed hoc fit per dictamen practicum rationis, seu conscientie, teste Propheta: Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: ergo secunda regula moralitatis, & proxima est conscientia.

134. Inq. 2. Utrum de essentia moralitatis sit esse juxta, vel contra aliquam ex dictis regulis? R. affir. Ideo enim actus humani sunt boni, vel mali, quia per legem æternam, vel sunt præcepti, vel prohibiti. Quoniam omnis malitia est contra dictamen rationis; sed hoc dictamen est ipsa lex naturalis: erg. omnis malitia moralis est contra legem æternam, cujus participatio est lex naturalis in nobis. Prob. maj. Nam etiam illa, quæ intrinsece sint mala, si contra dictamen rationis non sunt, peccata non sunt: ut patet in eo, qui ex ignorantia invincibili furatur ad elargiendam elemosinam, qui ideo non peccat, quia non operatur contra dictamen rationis, quod est proxima regula moralitatis: erg. omnis malitia debet esse talis; quia est contra legem æternam, & naturalem, seu dictamen rationis. Idem est de bonitate.

135. Objic. 1. In odio Dei v. g. datur aliqua malitia ratione cujus prohibeatur per legem æternam, & naturalem: ergo datur aliqua moralitas, quæ non sit contra regulas assignatas. Ant. prob. nam aliquid est in odio Dei, vi cujus a Deo prohibea-

tur, quod minime in Dei amore reperitur; sed nihil aliud potest esse, quam aliqua malitia: erg. datur hæc ante legem æternam, & naturalem: & ideo solet dici de talibus, quod sunt prohibita quia mala: ergo hoc malum existit pro priori ad prohibitionem, & legem.

136. R. Odium Dei, & alia, quæ opponuntur juri naturali, esse mala pro priori ad legem æternam, illa prohibentem; non mala formaliter, sed solum fundamentaliter, consistens in eo, quod tales actus repugnant alicui prædicato divino, v. g. odium Dei, bonitati divine: mendacium summæ veracitati: quæ quidem malitia fundamentalis est motivum sufficiens, ut prohibeantur. At vero malitia formalis horum actuum unice desumitur ex eo, quod lex æterna, & naturalis, quæ est ejus participatio, illam prohibeant. Unde dum dicimus, quod sunt prohibita, quia mala, solum mala fundamentaliter intelligi oportet; non vero formaliter: quia ut inquit Apost. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.*

137. Objic. 2. Actus consilii, & super erogationis sunt boni; & tamen non sunt tales per conformitatem ad aliquam legem, cum sint extra præceptum: erg. datur bonitas, & non secundum regulas assignatas. R. Quod opera consilii, & super erogationis, licet non cadant sub aliqua lege absolute, bene tamen ex suppositione, quod fiant: nam hoc ipso, quod homo operetur, debet suæ actioni præstitueretur rectum finem, & debitas circumstantias, ut bene fiat, licet nulla lege, aut præcepto teneatur ad operandum: & hæc ratione diximus, non posse actus indifferentes dari in individuo, si deliberate fiant.

TRACTATUS SECUNDUS

DE REGULIS MORUM.

CAUPT I.

De Conscientia.

Proxima regula moralitatis est conscientia, quæ velut cum alio scientia dicitur, vel quia per eam scientia universalis ad particularem applicatur, vel quia per ipsam quis sibi scit, quid fecerit, vel

sit faciendum. Unde etiam dicitur dictamen, sententia, aut scientia rationis. De hac agimus in præsentibus cum D. Thom. 1. p. q. 79. art. 13.